

FRANCISCI PHILELFI

ORATIONES DIVERSAE.

Francisci Philelfi Oratio ad Piū secundū pontificē maxi-
mū: habita Mantuæ in publica uniuersaliq; christianorū
contione pro duce Francisco Sphortia: die Martis. xiiij.
Kalendas Octobres. M. cccc. lix. I

Exordiū
Fr. sphor. dux

OVm essem pater beatissime noīe atq; iussu humanissi-
mi principis hui⁹ mei Francisci Sphortia: inclyti Me-
diolanēsiū ducis apud sanctitatē tuā in tāto hoc & tā
florētī splendidissimoq; coetu uerba factur⁹ de rebus
maximis & clarissimis: & cū necessarijs: tū christianis
oībus nō mediocriter cōducturis: nō poterā equidē nō subuereri:
ne idē mihi accideret: qđ grauissimis ac sūmis & oratorib⁹ & philo-
sophis usu aliqñ uenisse tradiē. Nā & **L. Crassus** cū paternā ultur⁹
iniuriā apud **Qu. Maximū** foret aduersus **Gn. carbonē** causā actū:
Gn. carbo rus: ne uerbū quidē potuit emittere. Et **Tyrtam⁹** cognomēto **Theo**
Tyrtamus the phraustus pauca admodū uerba apud **Atheniēsem** populū dictur⁹
ophraustus obmutuit. **Demosthenes** uero talis ille tātusq; orator apud **Philip**
Atheniēses pū regē **Alexādrī** patrē orationē habitur⁹ idē est passus. Nam qđ di-
Demosthenes xero de eloquētissimo uiro eruditissimoq; philosopho **M. T. Cice**
Philippus rex rone: Nōne in causa illa nobilissima **Titī Annij Milonis** fortissimi
Alexander uiri & optime de se meriti: ita expalluit: ita tremuit: ita defecit: ut in
M. Tul. Cice. epti⁹ nunq; orauerit: Hæc igit̃ mecū repetēs pater beatissime aīoq;
T. anni⁹ milo uolutās: tū hui⁹ loci ornatissimi amplitudinē atq; maiestātē: tū in-
credibilē tuā diuināq; sapiētiā merito optimoq; iure expauescebā:
ne qđ incipiēti mihi qđ nollē accideret. Sed iā me plane recreat ac
reficit mitissimi tui isti⁹ uult⁹ atq; animi facilitas singularisq; illa be-
Roma nignitas: quā nuper ī urbe **Roma** corā ipse de te expert⁹: maiore cū
Narratio fiducia ad dicendū uenio. Vt ad rē propius accedā: hic optim⁹ prin-
ceps me⁹ ut est sanctitatis tuæ & sacri huius collegij cardinaliū uni-
uersaq; **Romanæ** ecclesiæ obseruatissim⁹: cū uideret qđ to cū studio
& diligētia & labore incūberes ad uindicādā christianā rēpublicā:
ex atrocissima & teterrima seruitute **Turcoz** in pristinā suā & liber-
tatē & dignitatē: indignū pfecto & iniquū a se factū iri existimasset
si abs te tātopere phumaniterq; accersit⁹ ad cōstitutā diē min⁹ ipse
qđ primū uenisset ī pulcherrimū hūc perillustre q; cōuentū tot uene-
rabilū patrū & dñoz & principū. Intelligebat em̃ in tāto regē discri-
mine qđ tota religio nostra fluctuat: celeritate plurima opessē: ne dū
Petrus apls prætōlādo cōsultādoq; seri⁹ temp⁹ teriē: diuī **Petri** nauicula ante

AD PIVM PAPAM ORATIO I

naufragio obruat: q̄ tabernaculo fuerit rudētibz munita. **I**taq̄
 posthabitis om̄inoq̄ pratermissis ceteris negocijs suis oibz: quæ
 circa noui principatus sui administrationē in tātis huius nostræ tu-
 melcētis fluctuātisq̄ **I**taliæ pcellis atq̄ tempestatibus neq̄ parua
 nec leuia esse possunt. **E**cce ut uides: nō inuitus paruit salutaris ad
 monitiōibus & sanctissimis iussis tuis: quippe q̄ ut est uir nō minus
 studiosus religiōis & pietatis q̄ & ingenti aīo & consilio: aīaduē-
 tebat te pontificē maximū & sanctissimū nō sine causa in tāto itine-
 ris labore & infirmitate corpis: & apostolico illo solio **M**antuā cō- **Mantua**
 cessisse: & uniuersos christianæ fidei principes ac reges cōsultādī fe-
 rendæq̄ opis grā instanti necessitati litteris ac nūcijs cōuocasse. **N**ā **C**onfirmatio
 qd̄ magis decet christianū hoīem q̄ non modo pecunias atq̄ uires **& confutatio**
 suas p illius noiē gloriaq̄ offerre: sed etiā semetipsum si opus fue-
 rit deuouere: q̄ ut ipsi uita frueremur æterna: cū e domino seru⁹ fie-
 ri: tū crudelissime & per om̄e ignominia genus mori uoluit. **O**h di-
 uinā illā clamentia: **O**h liberalitatē & munificentia obstupendā.
Tu pro nobis **C**hriste optime maxime: q̄ illius originalis delicti &
 ppetuæ culpæ reos inexplabili facinore liberares: pudēdā acerbissi-
 māq̄ mortē nō solū nō recuastī: sed ultro etiā atq̄ perlibet̄ depo-
 poscisti. **N**os aut̄ ita simus impudentes: ita ingrati: ita mētis ac sen-
 sus inopes: ut facultates nostras atq̄ uitā ipsam si sit opus: quā a te
 uno gratis accepimus: in tāta tui noiis iactura & cōtumelia tibi re-
 petētī reddere dubitem⁹. **A**bsit a regib⁹ & principib⁹ christianis tm̄
 dedecus: tm̄ opprobriū: tm̄ nefas. **Q**uid em̄ reliqui principes sint fa-
 cturi pater beatissime: q̄ opes ac uires maiores formidabilioresq̄
 sunt: q̄n̄ unus hic **F**rācilē **S**phortia: ne dilectissimis quidē & fratri-
 bus & filijs parcere decreuerit: modo possit aliquā opē salutēq̄ af-
 ferre huic salutifero pientissimoq̄ operi. **N**ouit certe princeps pru-
 dētissimus nos esse natos nō nobis solis: sed bonis oibz: sed toti fi-
 dei christianæ: sed imortali deo christo **I**esu redemptori nostro: cui⁹ **C**hris⁹ Iesus
 innocentē & sanctissimā ciuitatē pati ludibrio esse diritati imanita-
 tiq̄ **T**urcor⁹ turpissimū est & dedecorosum in primis. **E**o em̄ oīs in- **Turci**
 dignitas ducenda est indignior: quo ab indignioribus infertur ho-
 minibus: si hoīes quidem potius q̄ efferatæ prorsus & truculentis-
 simæ quādā belluæ **Turci** sunt appellādi: cū nihil in se humanita-
 tis habeāt prater hoīs figurā: & eā sane ob flagiciosissimā turpitu-
 dinis foeditatē deprauatā ac neq̄. **Q**uis unus oīm **Turcos** ignoret
 fugitiuos esse **Scythas** seruos cosq̄ pastores: q̄ ex ergastulis ill⁹ ua-
 sti & inhospitabil⁹ mōtis **Caucasi** cū i **Persida** ac **M**ediā latrocinatū **Iustinian⁹** im-
 descēdissent: nullūq̄ certū incoletēt domiciliū præ obsoleta lūstra **perator**

FRAN. PHILELFI ORATIONES DIVERSAE

Hellepontus & horrētes sylvarū latebras: primū **Iustiniani** tēpib⁹ ad **Hellepontū**
Bocchanus usq; clamdestinis insidijs impetū faciētes: eodē ductore & collatro
Bosphor⁹ urbs ne pditissimo **Bocchano**: urbē oppulentissimā **Bosphor⁹** repētina
 ui captā diripuerūt. Deinde ubi laxius ut hoīes humiles abieciq;
Cōstātinopol negligunt cōtemnūt q; imperāte **Cōstātinopoli** **Alexio** **Comne**
Alexi⁹ cōnen⁹ no tñ rebus suis incremētū fures obscurissimi cōtinuis latrocinijs
 imperator attulerāt: Nā quid nō cōsequat assiduitas. ¶ **U**t iam auderēt aper
 to etiā **Marte** cū imperio illo oriētali de principatu cōtendere. **U**su
 em fieri quotidie uidem⁹: ut quo q; humiliore ignobilioreq; nat⁹
 genere fortunā impudētia usus fuerit: eo se arrogatiorē: insolēti
 rē: superbiorē prāstet. Et ne sim in re minime iucunda narrādo proli
Theodorus cā uor: ubi **Turci** p **Theodor⁹** **Cantacuzenū**: qui **Ioannē** **Palaeologū**
 tacuzen⁹ ut pupillū & genēz impi⁹ circūscriptor patrito auitoq; regno frau
Ioanes impa. darat: ex **Asiatica Mysia** in **Thraciā** **Callipoli** ad **Hellepontū** tra
Mysia asiatica dita perinde atq; socij sūt traducti: nūc socerz: nūc genēz **Horcane**
Thracia ductore fallētes: ut sunt ad omē improbitatis genus prodiues atq;
Callipolis anhelātes: breui tēpīs curriculo magna ex parte **Thracia** occupata:
Hellepontus duce **Amoratho** **Horcanis** filio in **Triballos**: qui nunc serui appel
Horcanes lanē irruere. Quo illo ubi magna utrinq; cade iā ppetrata **Amo**
Amorathus rathus a **Laçaro** strenuo atq; fortissimo **Triballoz** duce: q se p pa
Triballi serui tria imaculatā hostiā deuouēs: cū duodecim intrepidis cōmilitoni
Laçarus bus in castra ipsa intra crudelissimi sceleratissimiq; tyrānī tentoriū
Baisetes impetū fecerat: multis uulneribus cōfossus occidit. Huic ubi **Baise**
Thessalia tes fili⁹ successisset: nō remin⁹ fulmē q; noīe: id em **Baisetes** **Turcoz**
Boetia lingua significat: nō solū **Thessalia** christianis & **Boetia** est erepta:
Cōstātinopol sed ipsa etiā noua **Roma** **Cōstātinopolis**: ita uallata & pressa diu
Nicopolis turna obsidione oppugnatiōib⁹ q; continuis & tremēdis: ut pro
Sigismūdu fligato iā ad **Nicopolin** **Sigismūdo** rege **Hungariā** cū tāto & tā re
 rex bus oib⁹ ornatissimo exercitu fortiū uiroz ad trecēta milia post in
Galli ternitionē tantā **Galloz** nobilitatis: post ludibriosā & barbarā
Christ⁹ Iesus ac spurcissimā cōtumeliā tot principū: tot ducū: post iā prope extin
Thomyris ctum christianū & nomē & cultū: ni repēte **Christus** **Iesus** qui se de
Tamberlanus inimicis suis cū inimicis itē suis ulcisci dignatus ē. **Thomyrin** mas
 sagetā cognomēto **Tāberlanū**: qm pede altero esset claudus: cū inu
 merabili firmissimoq; misisset exercitu: ipsa inq; noua **Roma** **Con**
stātinopolis ex illo usq; tpe & capta ui esset & uersa ī prādā. At no
 luit tū deus oīpotēs tantā pati indignitatē: qn potius pspicue oib⁹
 gētibus declarauit frustra esse humanos cogitatus oīs q; diuino ca
 reāt auxilio. Victus est igiē & captus ilico a **Thomyride** **Tamberla**
 no fulmine⁹ ille & horribilis **Baisetes**: nulla pugna: nulla cōcussio,

AD PIVM PAPAM ORATIO I

ne hastarū: nulla ensū vibratione: sine ullo prorsus sagittarū iactu.
Nam ante uniuersus **Baifetæ** exercit⁹ fugæ turpissimæ terga dedit:
 q̄ descendum esset in aciē. **O**h mirabilē dei prouidentia: **O**h incom
 prehensibilē imensamq; potentia: **O**h charitatē qua nos cōplecte
 ris infinita. **E**t nos miseri nōdū respicim⁹: nō respicim⁹. **C**apt⁹ igit
 & nō multo post obtruncatus per multā cōtumeliā ille tā potēs: tā
 elatus: tā formidabilis **Baifetes** cū nōnullos filios reliquisset: cate
 ris demū deinceps oibus p **S**ultanū fratrem strangulatis arquis ner **S**ultan⁹ turc⁹
 uo ex quo postea **Cyricis** dictus est. **S**olus hic **S**ultanus **Cyricis** in **Cyricis**
Tyrānida successit: nihilo quidē minus q̄ **Baifetes** pater christianis **Myfi**
 perniciosus. **N**ā & **Myfos** q̄ citra **Danubiū** sedēt: & ultra **Danubiū** **Danubiū**
Balacchos & **Moldauia** subiugauit: adiecitq; quicqd mari **Aegeo** **Balacchi**
Ionioq; adiacet: præter solā **Peloponnesum** ad **Illyricos** usq;. **Q**ui **Moldauia**
 posteaq; animā efilasset: secutus ē **Amorathus** filius ob **Amorathū** **Aegeū** mare
 proauū ita nominatus. **I**s oīm primū post strangulatū **Mustaphā** **Ionii** mare
 fratrem urbem **Constantinopolin** permagno & acerrimo munitus **Peloponnesus**
 exercitu obsedit mēib⁹ trib⁹: oppugnavitq; fortissime: quo tempo **Ilharici**
 re illic me cōtinebā disciplinæ **Græcæ** consequēdæ gratia: **Q**uā ubi **Thessalonica**
 nequisset expugnare: agro igni ferroq; uastato abiit adortus **Thes/** **Macedonia**
salonicam in **Macedonia**: quæ **Turcorum** metu **Venetis** se dedide: **Veneti**
 rat. **H**anc posteaq; dies tris continuos oppugnat: tandē expugnat: **Isthmus**
 agitq; in prædam: **Murum** **Isthmi** qui **Peloponnesum** per conti
 nentem ab **Aegeo** ad **Ionium** pelagus tutabatur: cum cœpisset per
 incolarum prodicionem: solo æquauit inde abacta ingenti præda.
Qui ubi sæpenumero pugnasset cum **Hungaris**: & id quidē in foeli **Hungari**
 citer: demum ubi apud **Barnam** cum iisdem **Hungaris** manū con/ **Barna**
 seruisset: essetq; unius **Ioannis** **Vaiuodæ** clarissimi belli ducis calli/ **Ioānis** uaiuo.
 ditate summaq; uirtute superatus: atq; ingenti cum cæde in fugam
 uersus: factum est subito audacia atq; animositate regis **Vladislai**: **Vladislā⁹** rex
 ute uictō uictor euaserit **Hungaris** cunctis non tam fugatis q̄ per
 subitā animorū cōsternationē ob intolerabilē dolorē quē ex inter
 empto rege animo conceperāt ultro fugientibus. **I**n qua quidē chri
 stianorum fuga illud uulnus uel maximū nomini christiano infixū
 est: q̄ **Iulianum** **Cæsarinum** sanctæ crucis cardinalem: uirum uero **Iulian⁹** cæsari/
 dignum **Romana** ecclesia **Hungari** frustra a fuga reuocantē crude/ **nus** cardinalis
 lissime trucidarūt. **A**morathum autem hunc nō multis post annis
 maiores calamitates in christianū populū arumnasq; molientem:
 peropportune mors e medio sustulit: relicto **Mahometo** filio uno cer **Mahometus**
 te oīm qui sunt: fuerūt: futuriq; sūt: impurissimo adolescēte & oī
 imanitate imaniore. **D**e hoc aut tetro diroq; portēto: de hoc in q̄ tā

FRAN. PHILELFI ORATIONES DIVERSAE

truculento: tam sauo: tam horrendo: tam funesto prodigio: quid dicendum: quid sentiendum: quid tenendū sit nescio. **I**llud certe scio neminem unq̃ alterum ex omni hominum memoria extitisse: qui breui adeo tempore tanta trepidatione atq; terrore uniuersum prope terrarum orbem affecerit. **E**t ne id quidem mirum. **Q**uas enim calamitates unus hic alter impi⁹ & abominabilis **M**ahometus tā paucis annis christiano pp̃lo intulit: **N**obilissimū illud oriētalē imperij **E**mporiū nouā **R**omā **C**onstantinopolin: heu miserā nostrā infelicē tempestatē: **N**ū latissimi illi altissimiq; muri crassissimæq; turres quæ singulæ munitissimas arces representabant: cum uiderētur omī adamante solidiores: **N**ū ulla hominū aut ingenia aut uires tutari potuerunt quo minus a **T**urcis captum & in miserabilē ac luctuosissimā prædā uersum: omnibus gentibus sit exemplo nihil esse nobis superbiendum: **N**onne paulopost **P**eloponnesus eodem tacta fulmine perijt: **Q**uid enim **T**riballos: quid **I**llyricorum quid **D**almatiæ reliquias commemorem: quos omnis assiduis incursionibus & incendijs præmit ac perdit idem nefarium abominabileq; monstrum: **V**erum quid **T**riballos memini: **H**os enim **M**ahometus iam omīs egit in ærumnolosissimā seruitutem. **N**ūc ultimo exitio **P**annonijs imminet: **E**oq; faciliorem sperat de ijs uictoriam quod **S**pendorobum **T**riballorū **E**mporium expeditum per **D**anubium transitum in **H**ungaros præbet. **H**ungari uero ipsi etsi sunt tum animorū ferocia: tum robore corporum peritiæq; bellandi aduersus **T**urcos aptissimi: tamē quia intestinis seditionibus assidue inter se digladiantur: sunt ad rem tantam tamq; necessariam imbeciliores. **Q**uo fit: ut nisi propediem a cæteris christianis principib⁹ eorum imminenti extremoq; periculo succurratur: indubitato sint perituri. **I**lli autē populosissimi regni bellicosissimiq; euersio: qđ omen deus auertat: quantam sit cladem cunctis christianis illatura: quis est tam rerum inscius qui ignoret. **E**xpergiscimini ergo: expergiscimini tandem principes & populi christiani: ferte periculis tantibus auxiliū: ferte **C**hristo **I**esu: ferte uobis ipsis: ferte filiis uxoribusq; uestris. **N**olite pati per deum immortalem: nolite pati tantam pestem: tātā perniciem aduersus christianam rempublicam diutius inualescere: incrudescere: debacchari. **A**n ignoratis fore: ut subiugatis **H**ungaris: qui nobis clypeo sunt & muro: continuo uobis sit de uestra & libertate & gloria saluteq; pugnandum: **L**audatur a uiris sapientibus & **L**. **B**rutus & **M**anlius **T**orquatus: quod ut aiunt: alter disciplina rei militaris: alter salute patriæ. **L**audatur

Noua roma
Constantino/
polis

Pelopōnesus
Triballi
Illyrici
Dalmatia

Pannonij
Spendorob⁹

Cōclusio par/
ticularis

L. **B**rutus
Manlius tor/
quatus

AD PIVM PAPAM ORATIO I

Curtius: q̄ se in profundissimum terræ **H**iatum illum periturus **C**urtius
 præcipit: quo metu mortis patriā solueret. **L**audantur tres **D**e **D**ecij tres
 cij pater & filius ac nepos: q̄ in extremis reipublicæ periculis sese
 deinceps pro patria deuouerint. **L**audat. **M**. **A**ttilius regulus: qui **M**. attilius re/
 ut fidē hosti seruaret: ad acerbissimos corporis cruciat⁹: ad dedeco/
 gulul
 rofissimā contumeliā: ad indubitātā mortem redire non dubita/
 rit. **L**audant inq̄: laudant cum alijs multi: tum **P**hileni & **C**odrus **P**hileni
 qui honestam mortē turpi uitæ ingenti animo præferre ptulerint. **C**odrus rex
Athos om̄is qua ratione ductos arbitremur: **A**lia nempe nulla ni
 si ut umbratilem & inanem huius sæculi gloriā uel mortui uideren
 tur assecuti. **N**os aut̄ qui ad huius uitæ celebrem gloriam æternam
 quoq̄ atq̄ celestem gloriā simus assecuturi: cunctabimur diutius
 obuiam ire pulcherrimis gloriosissimisque triumphis. **I**am tandem **C**onclusio ge/
 foeliciſſima signa in **B**arbaram **T**urcorum illam & abiectam serui/
 lemque nationē tollenda sunt te auctore & duce atq̄ uexillifero pon
 tificis maxime pientissime **P**ie secunde: qui christi uices in terris ge/
 rens: om̄ia pro animi tui magnitudine & incomparabili sapientia
 diuinaq̄ uirtute cōstitues: geres: moderabere: perficies. **Q**uis adeo
 sit a fide christiana alienus: quis ita abhorrens ab omni humanita/
 te: quis tam suis rebus sibiq̄ aduersus qui in re tam pia: tam ne/
 cessaria: tā laudabili: tā utili beatitudini tuæ parere subterfugiat:
 atq̄ nolit uitam suam si sit opus deo offerre: quo tanto dedecore
 amarissimoq̄ flagello christiana respublica liberet⁹: **N**am quid ad
Franciscum **S**phortiam **M**ediolanensium ducem principem meū **F**ran. **S**phor/
 attinet: hic eo cōsilio abs te accersitus: eo animo huc uenit: ut om̄ia **tia dux**
 sit pro tua & sacrosanctæ **R**omanæ ecclesiæ uolūtate iussuq̄ factu/
 rus. **N**on modo enim & uniuersam tibi substantiam & exercitum
 suū om̄ne pollice⁹ ad hanc rem tantā: tam sanctam: tam deo homi
 nibusq̄ acceptam: sed fratres etiam ac filios: præsertim cum nō am
 bigat cæteros quoq̄ principes regesq̄ christianos idem singulos, p
 sua facultate facturos. **A**c multo sane alacrius & libentius ipsemet
 præstantissimus princeps meus: ut est inuict⁹ & excelso animo reli/
 gioniq̄ deditissimus: & sanctitatis tuæ obseruantissimus in tā præ/
 clarum tamq̄ salutiferam expeditionem proficiscere⁹: si per **I**talij/
 carum rerum conditionem ei liceret.

O **F**rancisci **P**hilelſi ad uiros **P**apienses **O**ratio congratu/
 latoria de creatiōe iacobi **B**orrbomæi **V**italiani comitis
Ead dignitatem & gradum episcopalem. **II**

FRAN. PHILELFI ORATIONES DIVERSAE

Exordium

Non possem equidem uiri Papienses & uos ceteri patres amplissimi non uahementissime uobis ecclesiæq; uestræ gratulari: q̃ eum tandem pontificem estis adepti: cui ad decus & ad gloriam nihil est quod deesse insigne queat. Videtis eñ diuina benignitate eum uobis contigisse episcopum Iacobum istum Borromæum præsentem hic coramq; astantem: quem esse magno splendore præditum: magna doctrina: magna fide: magna religione: non fama uaria aut dubia: sed longo usu & multiplici experientia didiceritis. Quæ dum mecum ipse consydero: tum uobis gratulor quibus cupio esse q̃ optime: tum mihi gaudeo: cui secundæ res uestræ omnes non late esse non debent. Nam pristina illa uestra maximaq; merita quibus hiciampridem docens & publice sum a uobis & priuatim ornatus: nullus unq; obliuionis interitus e memoria mihi debeat. Quare cū noua hæc & peroptata præsentis pontificis creatio communē mihi uobiscum uoluptatem afferat: quantum hodierno die ab immortali deo nobis bonum oblatum sit: breui saltem oratione recensendum existimo.

Narratio

Cum Papiensis pontificatus sedes annos compluscuius iam uacaret: & ingens competitorum numerus maximis opibus & studijs ad tantæ dignitatis fastigium niteretur: idq; persæpe frustra temptatū esset: quippe quod non humani sed diuini potius fauoris opib; indigeret: prospexit oportune Christus optimus maximus huic rerū difficultati: qui non quod ipsi uolumus: sed quod nobis optimum fore nouerit multo ante deliberat. Itaq; eodem fere tempore & christianissimus princeps noster Philippus Maria Anglus: & summus pontifex Eugenius qui Christum in terris gerit: uterq; ueluti diuino quodam afflato numine Iacobum Borromæum: reliquis omnibus reiectis ac repudiatis competitoribus: nihil tale neq; petentem nec cogitantem eadem mente communiq; consensu episcopatu

Christus

Papiensi præesse uoluerunt. Quæ quidem res triplicia mihi bona illa uidetur esse complexa: quæ ad bene beateq; uiuendum maxime expetuntur: Honestatem: utilitatem: iucunditatem. Harum autem pulcherrimarum laudum campum quoniā non tam prolixè disserere q̃ attingere paucis tempus iubet: & si cupiebam ita dicendo explicare: ut nō modo fruges & fructus omnis feracitati uber tatiq; responderet: sed nihil omnino relinquerem aut desertum aut incultum: oratione metiar expedita magis & circumscripta q̃ ambienti & locupleti. Et ut eodem prosequar ordine quo proposui: quoniam honestum id ducitur quod uirtute cōstat: Quid honesti

Philippus Maria anglus
Eugenius

Diuisio tri-
membris

Honestas

Utilitas

Iucunditas

Cōfirmatio. i.
& confutatio

quoniam honestum id ducitur quod uirtute cōstat: Quid honesti

AD VIROS PAPIENSES ORATIO II

Papiensi episcopatu: quid pulchrius: quid illustrius cōtingere potuerit: q̄p eum sibi pontificē uidet oblatū: cui⁹ uirtutes & multæ sint & singulares mi primis. **C**um em̄ ueluti duo quædam itinera: quorū altero se ituros: altero puenturos ad diuinā illā & incōmutabile bonitatē arbitrantur: mortaliū animis sint propōita **Scientia** atq; sapientia: ita in utroq; **Iacobus Borromæus** uel ab ineunte **Sapientia** usq; ætate uersatus est & agendo & contemplando: ut ne grandior **Actio** rib⁹ quidē natu uiris eruditissimis & eisdē religiosissimis unq; cesset **Cōtemplatio** rit. **N**am cum sciret quibus præcipuis in hac temporalis uitæ fragilitate exerceri se oporteret: omnium primum ita semper temperantibus **De scientiæ p** tiam coluit: ut nullis cupiditatibus uictus: nullis uoluptatum illecebris labefact⁹: id assiduus suis laborib⁹ laudatissimiq; operib⁹ **Temperantia** effecerit: ut nihil sibi facilius sit: nihil usitatus: nihil antiquius uita sobria & pudica. **Q**uod cum in omni ætatis cursu: tum in adoleſcētia difficillimum factū sit: id magno nobis argumento esse debet: hunc diuino quodam munere facillime adeo potuisse tam indomitas atq; effrenatas corporis bælluas uinclis iugoq; ratiois obtemperantes sibi & obsequentes reddere. **I**n ijs autem domandis subiugandisq; non fortitudinis minus q̄p temperantiæ & moderatio **Fortitudo** nis adminiculis usus est: quibus nixus omēs blandientium appetitionum insidias atq; irruptiones non modo constantissime sustinuit: sed etiam acerrime fudit ac prostrauit. **N**on enim est inscius probatissimus hic pōtifex: eum qui pestiferis animi perturbationibus liber non sit: omni turpitudini seruire. **N**ec ullum esse iniusticiæ genus **Iniusticia** cui alacri animo non occurrat: non pareat: non se penitus dedat. **Q**uare omni ope atq; opera semper studuit ac studet: ut nihil agat: nec meditet: nec cogitet quicq; quod a iusticia sit æquitateq; alienum. **N**ec id iusticiæ munus ducit: ut laceſſenti cuiq; noceatur: quippe quod cum feris commune sit: quæ uix cuiq; nocent: nisi fuerint laceſſitæ: **S**ed prohibere iniuriam & prodesse omnibus in media iusticia situm putat. **N**am prudentiam quæ propter uarios casus inopinatosq; rerū euentus uix senectuti om̄ino concedit: ita callet ac tenet: ut nihil usq; in humanis actionibus accidere posse uideatur: quod uel consultando uel gerendo: aut incognitū sibi: aut minus prouisum futurū sit. **P**rudētiæ aut omne & iusticiæ & fortitudinis temperantiæq; officiū nō ad aures popularis: sed ad dei gloriā semp̄ refert. **H**umanos em̄ fauores oīs ita admittendos arbitrat: quoad huic itineri: quod aditū parat ad deum: impedimēto esse nō

possint. **N**am has omnes uirtutes quibus gentilitas gloriatur: non tam propter se censet expetendas: quam quod sapientia quae sola perducit in caeleste spectaculum: ueluti proscœnia quaedam sint. Itaque maxime **P**ietas omnium pietatem colit. Quid enim diuino cultu agere potest aut melius aut pulchrius? Nam si id est bonorum omnium maximū: ad quod reliqua bona omnia quae dicuntur referri oporteat: deū ipsum dumtaxat nostrā esse felicitatē: si quis ignorat: omnem uim boni naturamque ignoret. Felicitatem autē omnes uolunt: quā qui norint: perpauci sunt. Non enim in hisce terrenis sordibus ac coeno hominis bonum collocatum est. Id omne caelitus est petendum: Inferiora haec omnia & infirma sunt & instabilia & caduca. Quod uero & incommutabile est & summū & sempiternū bonum: sola nobis sapientia pollicetur: quae ita rerum caelestium ueritatem diligenter inquirat atque contemplatur: ut non prius conquiescat: quam ad diuinum splendorem illum usque peruenerit. In huiusmodi in qua sapientia lumine sese intueus **I**acobus **B**orromaeus: liquido perspicit nihil esse humano generi praestabilius: nihil magis optandum quam omnes suas & actiones & cogitatus referre ad deum: qui solus colendus sit: & omni religionis & fidei sinceritate unice uenerandus. Sed quoniam de honestatis parte locuti sumus: iam ad utilitatis rationem nostra tendat oratio. Nam quaecumque id solum est utile: quod sit honestum: cuiusmodi tamen alia quaedam separatim utilitas ex hoc pontifice sit in Papiensem episcopatum: & in uos item uniuersos emanatura: breuiter complectar. Latere uos id non puto quod est etiam peregrinis luce: ut ita dixerim: clarius: consueisse pluresque pontifices superioribus iam pridem temporibus Papiensem ecclesiam permagnis detrimentis afficere: alios quoniam essent inopes: alios quoniam expleri non possent. Quare cum hi nollent pecuniis abstinere: nequirerent autem illi parcere: se utrique perniciosos in rem ecclesiasticam praestiterunt. Nihil autem huiusmodi esse de praesenti pontifice uerendum: tum eius probatissimi mores docent: tum paternae diuitiae ac splendor. Nam quo pacto aliena uel auferat uel surripat: qui ultro sua beneficentissimeque conferre sit solitus? An estis obliui quanta liberalitate semper sit usus **I**acobus **B**orromaeus: & cum apud uos ingenuis artibus studeret annos nonnullos: & cum paucis ante mensibus hoc ipso in loco pontificij iuris insignibus quam pulcherrime ornaret? Quis enim omnium dici queat: qui ullo uel humanitatis: uel facilitatis: uel benignitatis & munificentiae genere cum hoc uno sit conferendus? Quod si & adolescens & abbas nihil sibi laudabilius esse censebat quam benefacere: quam aequi & boni nosse tuerique rationem: quid nunc iudicandum

Confirmatio. ff
& confutatio

est de uiro plane sapienti religiosissimoq; episcopo: **A**tqui huius pater uir magnificus & illustris **V**italianus comes ijs facultatibus atq; opibus fratus est: ut magni putet interesse ad decus & ad laudem suam: si omnes semper intelligant suos quosq; alijs nullis q; paternis & suis locupletatos esse diuitijs. **Q**uod quidem cū alijs permultis in rebus: tū in sacris templis apparatuq; diuino quotidie ostēdit: nō coniecturis & argumentis: quod facere nōnulli scilicet qui uideri q; esse malunt liberales ac benefici: sed magnis muneribus magniq; impēsis. **A**n fortasse nescim⁹ diui **B**arnabæ monasterium cui noster hic amplissimus pōtifex in hanc usq; diē sua maxima cū laude abbas præsuit: quanta primū inopia mendicitateq; premere: **N**ō fundi omnes: pradia omnia: ades omnes superiorum abbatum uel auaricia uel negligentia fœnore rapinisq; perierant: **N**ō hæc omnia uidemus unius **V**italiani pergrandi auro singulariq; industria nō modo recuperata restitutaq; monasterio: sed ita amplificata & in cumulū aucta: ut nūq; eius census aut maior fuerit: aut expeditior aut liberior. **E**st em̄ comes **V**italian⁹ pro suo ingenti animo eodemq; regali non minus splendidissimis moribus præstantissimiq; uirtutibus q; fortunis ornatissimis & maximis. **Q**uare quicquid habet (**T**antum aut̄ habet: quātū alijs in **I**talia unus nemo) id omne cū bonis habet cōmune: **N**ā qd̄ in bonos & claros homines beneficiū cōfert: id nō tam dare q; accipere existimat. **I**taq; mirari neminē decet: si in huius quidē unus hominis uita tanta est apud diuū principem nostrū auctoritas: tantū cōsiliū: tanta fides: ut nō tam oret q; exoret omnia. **Q**uæ certe res quāto etiā uobis omnibus usui sit futura: licet uel meretricente cognoscere. **T**ertius locus erat iucunditatis: quæ quāta esse debeat: nō solū ex honestatis utilitatēq; ratione aestimari oportet: sed ex ipsa quoq; ui propria & natura iucunditatis. **T**riplex esse bonū in aīo: cōtemplationis: actionis: iucunditatis quā eandem uoluptatis noīe appellant: & alij plures inelyti excellentissimiq; philosophi & **A**ristoteles locupletissimus testis est. **D**e sapientia & uirtute antea percurrimus. **D**e tertio aut̄ bono nō pluribus trāsigamus q; rei atq; temporis ratio postulat. **P**ermulti sunt qui uoluptatem uitio dent: hi nomen magis nescio quo pacto q; rem ipsam fallaciter expudentes. **S**ed uoluptatē quā ipse honestiore uerbo si quē forte uoluptatis nomen offendat: iucunditatē nomino: quippe quæ & mente & sensum iuuat: quāti fieri cōueniat: perspicue docet christiana etiā ueritas. **Q**uod em̄ præmiū nobis aliud est futurum uigiliarū laborūq; nostrorū: quos plurimos & maximos ad sincerum

Vitalianus comes

Diuī **B**arnabæ monasterium

Confirmatio
ij. & confutatio

Triplex animi
bonum
Cōtemplatio
Actio
Iucunditas
Aristoteles
Voluptas

Vnde iucunditas

FRAN. PHILELFI ORATIONES DIVERSAE

Sardanapa-
lus

Smindyrides

Peroratio

Syrus

Eugenius

Vitaliani un-
de

Vitalian^o rex
Iustinus rex

ritatē fidei & dies obimus & noctes : q̄ perenne quoddā & infini-
tum gaudium: quo in uidenda corāq; cōtemplanda ineffabili dei
essentia & animo & corpore q̄ iucundissime perfruemur : **Nam** si
quis eiusmodi uoluptatē statuat: quā **Sardanapalus** ille rex assy-
riorū: aut **Smindyrides Sybarites** secutus dicīē: hic nō multū dis-
ferat a pecude. **Sed** nos eam uoluptatem ponimus: qua bene insti-
tutus anim^o & in hac uita fruiē: & in illa perfruiē. **Huiusmodi** autē
uoluptatē uos capturos uiri **Papienses** ex præsentia & cōsuetudi-
ne huius uestri pontificis: nō sum nescius. **Cū** em̄ perpexeritis hu-
manissimi huius patris suauitatē: uitæ integritatē: singularem mo-
destiam: morū sanctimoniam: lenitatē: grauitatem: insignē expres-
samq; probitatem: qui uos plurimū & monendo: & hortādo: &
docendo: & consulendo: & subueniendo iuuēt: nō poteritis affici
non mira iucunditate. **Quā** cū ita sint: recte uobis latādū sentio:
qui talem sacerdotem ecclesiæ uestræ præsētū esse uideatis: qualē
post illa prima tempora diui **Syri**: in cuius hoc sacratissimo tēplo
hæc a nobis habet oratio: alterū nunq; ullum habueritis. **Habetis**
inquā eum episcopū: qui & scientia rerum temporalium nemini agē
do cōcedat: & sapientia cultuq; diuino: uiris etiā religiosissimis an-
tecellat. **Tantā** uero sit uobis utilitatē iucūditatēq; allaturus: quā-
tū a plarīsq; superioribus pontificibus & detrimenti fuerit & ægri-
tudinis importatū. **Tu** autē pater amplissime **Iacobe** pōtifex: agēs
omnia gerēsq; p ingenio & cōsuetudine tua: hoc est ingenue: inno-
center: moderate: abstinēter: caste: pudice: continenter: **Omnia** ad
religionē refer: omnia ad pietatem. **Expectationē** quā de tua præs-
tanti insigniq; uirtute apud omnes mirabiliter cōcitasti: hanc pa-
ra nō modo ut sustineas atq; tuearis: sed amplifices etiā ac exupe-
res. **Responde** **Eugenij** de tē iudicio: respōde opinioni principis no-
stri: qui te quoniā bonæ spei adolescēs uideris: decimonono æta-
tis anno abbatem esse uoluit: & hoc tempore nōdū natum annos
octo & uiginti: quia cū ætate simul bonitate processeris: ad episco-
palem dignitatem amplitudinemq; promouit: eo (ut mea fert opi-
nio) animo ac mente: ut ad maiorem laudis atq; honoris gradum
auspitijs suis ductuq; peruenias: si nō te minorem gesseris episco-
pum q̄ fuisti abbas. **Meminerisq;** eo tibi maiorem necessitatē ad-
ditā ad uirtutis & nominis claritudinē: quo non infimo aliquo &
humili genere natus es: **Sed** **Vitaliano** patre: qui nō modo maio-
rum splendore: sed multo etiā magis suis laudibus ac meritis & il-
lustrem se omnibus & admirādum reddiderit. **Nam** quāq; **Vita-**
lianorū familia nobilitatis & originis suæ **Vitalianū** regē **Iustini** rex

AD VIROS COMENSES ORATIO III

gis filiū & diuæ Iustinae patrē: qui ex Antenor's troiani posterita-
te fluxisse tradiť: auctorem memorat: & nōnulli post hūc reges ad
Attilā usq; hunnorū & Totilā illi in christianos flagelli Gottho-
rūq; procellas Patauī Venetiāq; regni successiōē gessere: deinde
tamen ut res humanā plarāq; omnes labiles caducāq; sunt: pau-
latim praelarum illud & prapotes Vitalianorū nomen simul cū
opibus & fortuna extenuatum: in id calamitatis inciderat ut non
longe abesset ab interitu. Itaq; diuina quadā ope immortalis be-
neficio Vitalianus hic splēdidissimus pater tuus quasi sol quispiā
Vitalianis omnibus iam ppe obscuratis tēpestiue illuxit: qui no-
ctem late omnia occupantē suis radijs tolleret: incubantibusq; te-
nebris altius fulgens serenitatē lucemq; inferret. Quare quod in
suā laudem Cicero iactare aliquando cōsuevit: maioribus se suis
praeluxisse: id de se Vitalianus iure profiteri meritoq; possit. Igit
nō mediocris tibi opera danda est: ut quod perpulchre facis & lau-
te tui patris uiri optimi & hominis magnifici dissimilis nō sis. Nō
em̄ minor ei in te uno spes reposita esse debet: q̄ in fratre tuo uiro
clarissimo Philippo ipso borromaeo paternae gloriā atq; uirtutē
amulo & repositam uidemus & cōstitutā. Voluta praterea tecum
animo: quātū mun⁹ susceperis: qui & sis & nomineris Episcopus:
Quo quidē nomine iccirco ab Homero interdum Hectora hono-
ris gratia appellatum inuenimus: quod & rex esset: & speculator:
& tutor: & altor. Rege igit etiam tu Christi hunc optimum & am-
plissimū gregem tuā fidei & tutelae cōmissum pro tua integritate
& excellenti iusticia diligenter ac sedulo. Quid agendum obseruā-
dumq; sit: & dies tecū speculari & noctes. Bonos oīs q̄ studiosissi-
me tuere: cōstātissimeq; defende. Qui se flagitijs & facinoris q̄ pro-
bitatis maluerint pietatisq; participes: digna cēsura ultione cōpe-
scendos cura. Hāc si p tua singulari grauitate atq; uirtute feceris:
nō mō pulcherrimo tuo nomini & muneri satisfacies: sed oīpotē-
ti etiā deo te gratissimū reddes & cunctis hominib⁹ acceptissimū.

M. cccc. lvi. septimo Kal. Octobres Papiæ.

Francisci Philelfi Oratio de laudibus Laçari Scarampi
episcopi: ad Comenses: III

Instituēti mihi uiri Comenses uerba apud uos facere: cū
de Episcopali dignitate: tum de ipso uestro Episcopo La-
çaro Scarampo: quem præsensem hic coramq; uidetis: Laçarus sca-
rampus
Haud equidem facile dixerim: uter maior dicendi labor de digni-
tate: ne an de homine sit oblatu. Vtraq; sane res tanta est & tam

Cicero

Philipp⁹ bor-
romaeus
Episcopus qd
significet

Christus

FRAN. PHILELFI ORATIONES DIVERSAE

**Episcopus &
rex**

Homerus

Hector

**Episcopus
quid**

Græci

Euāgelium

**Paulus apo-
stolus**

**Angeli
Apocalypsis**

nobilis: tam magnifica: tā excellēs: ut uix ulla ingenij ui: ulla orati-
onis copia uideat esse cōtenta. **Scimus** em̄ ut hīc primū aggrediar
ab heroicis usq; temporibus: eodem **Episcopū** esse nomine regēq;
appellatū: id quod apud **Homerū** de **Hectore** licet animaduerti.
Et ne id quidē absurdū. **Quid** em̄ aliud **Episcopus** significat apud
græcos: q̄ inspectorem: speculatorem: custodem: cōsultoremq; &
ultorem: ac propositi cōpotem: **Rex** em̄ omnia diligenter inspicit:
omnia prouidet quæ ad tutandū regnū & amplificandū attinēt:
suis præmijs bonos psequens: ac dignis animaduersionibus ma-
los afficiens. **Et** quoniā nihil agit inconsulto: nihil imprudenter:
quicquid pposuit efficit. **Hæc** eadem certe mens: idem animus epi-
scopo in ecclesiam esse debet: & eo studiosior atq; propensior: quo
humanæ res cunctæ ne cū minima quidem alicuius diuinæ rei par-
ticula conferri possunt. **Enimvero** quis fidelis atq; doctus christia-
nus minus nouit a christo optimo maximo esse episcopos quasi re-
ges suis ecclesijs institutos: **Ipse** em̄ cū adhuc esset in terris: manū
apostolis suis imponens eos ordinauit episcopos: iussitq; ut irent
in mundū uniuersum: & omni creaturæ euāgelium prædicarēt: ac
dicerent regnū caeleste appropinquasse. **Ad** hæc ut curarent sana-
rentq; infirmos: mortuos suscitarent: mundarent leprosos: damo-
nes eijcerent: permultaq; alia in suo nomine facerent: quæ naturæ
diuinæ sunt: nō humanæ. **Iesus** inq; saluator noster hm̄di præsu-
les instituit: id quod **Apostolus Paulus** spiritui sancto ascribens:
ait: **Attendite** uobis & uniuerso gregi: in quem uos spiritus sanctus
posuit episcopos regere ecclesiam **Iesu** christi. **Atq;** taliū sacerdotū
tanta est amplitudo & ita sublimis gradus: ut eos angelorum no-
mine in **Apocalypsi** appellatos inueniamus. **Accipim⁹** em̄ episco-
pū munus a primis inde tēporibus illud in catholicis ecclesijs exti-
tisse: ut populos docerent: ipsiq; ea annuntiarent: quæ ad gloriā
pertinēt sempiternā. **Quare** cū in **Apocalypsi** iubent angeli pœni-
tentiā agere: non de ijs sermo est angelis: qui & incorporei sunt: &
quorū alteri ob efferatā ingratitudinē peruiacēq; superbiam ater-
nis supplicijs sunt addicti: alteri humiles & accepti memores bene-
ficij longe absunt a terrena contagione: sed de hominibus potius:
qui q̄ diu in uita sunt: obnoxij sunt peccato. **Nec** em̄ episcopi qui
humani quidā sunt angeli: quoniā diuina præcepta ac redempto-
ris nostri **Christi Iesu** uoluntatē nunciant: sine peccato esse ullo pa-
cto possunt. **Atqui** pontifex ipse quē præcipui honoris causa sum-
mum uulgo appellamus: aliud quicq; nihil habet egregium: q̄
qđ episcopi est proprium. **Quis** em̄ est alius summus pontifex q̄

ecclesia: **R**omanæ **E**piscopus: **E**t singularum quidem urbium episcopi dici pontifices & possunt & cōsuerūt: qui quāq̃ in suis ecclesijs sunt maximi ac summi: eo tamē minus dicunt: ut quē ceteris pontificibus lex præesse uoluit: is honorificentiore epitheto ornaret. **S**ed quoniā paucis ostendimus eundem esse in ecclesia dei episcopū: quē & regem & angelū uocamus: **R**eliquū ē: ut de hoc ipso **L**açaro **S**carampo: qui foelici quodā diuinoq̃ auspicio episcopus uobis contigit: nō quæ dici laudādo possent: sed quæ nō dici iniustum sit: breui oratione perstringamus. **V**idi plerumq̃ nōnullos qui cū maxime studēt aliquē laudare: eas potissimū laudes cōquirunt & cōsecantur: quæ alieni sunt iuris: nec præstari a nobis possunt. **N**am patria & parentes quæq̃ alia uel fortunæ uel corporis siue bona siue commoda sint dicenda: quamcūq̃ merentē laudem ppter ea scilicet merentē: quod ipsi moderate prudenterq̃ utamur q̃diu adsunt: **F**ragilia em̃ & caduca sunt: nec in nostra potestate posita. **A**liud profecto nihil præter uirtutē & rationē afferre possumus: quo de certi quicq̃ habeamus magnūq̃ polliceri. **B**ona animi nostra sunt: quæ fortunæ omni cōtempto impetu: nullam uim morbi: nullā temporū mutabilitatē: nullū incōmodorū turbinē contremiscūt. **I**taq̃ uera omnis ac perfecta laus posita est: & collocata in sola animi præstantia. **Q**uid em̃ memorem **L**açarum episcopū esse natione **L**igurem: familia uero **S**carāpū: **A**t **L**igures in Italia quales sint qualesq̃ semper fuerint: nemo sane rerum paulo peritior ignorat. **N**am ut tempori obsequēs silētio prætereā: quæ præclara quāq̃ p̃ multa facinora tempestate nostra **L**igures sæpe gesserint: & nūc etiā gerant: tradunt nobiles nōnulli rerum scriptores: tum latini: tum græci aborigines extitisse: qui maiore ex parte imperitarēt **I**taliæ: cū in eā **T**roiani primū uenissent **A**enea duce. **A**borgines uero alios nullos esse q̃ **L**igures ita nominatos: q̃ montani sint populi. **H**oros em̃ græce: montem significat. **N**ā Liguria prope tota montuosa est & ardua: ob idq̃ genus hominū acre atq̃ bellicosum. **I**nter **L**igures autē **S**carampi p̃ceres semper habiti sunt illustres: & id quidem in omni laudis ac probitatis genere. **Q**uot iurecōsulti: quot in omni doctrina magnitudine eruditissimi & eloquētissimi uiri: quot equites aurati e **S**carāporū familia prodierunt. **Q**uid em̃ repetā in præsentia priscum illū & inclytū auctorē huius generis ac nominis **S**carampū: qui ex **A**ragonū regia in **I**taliā p̃fectus post res splendidissime gestas in **L**iguria cōsedit: cū floruerit semper **S**carāporū domus & fortissimis belli ducibus & religiosissimis plarisq̃ atq̃ amplissimis nobilissimarum **V**rbū

Ligures**I**talia**T**roiani**A**eneas**A**borgines**I**talia

FRAN. PHILELFI ORATIONES DIVERSAE

Ligures
Insubres
Gallia cisalpi-
na
Antonius
Rainaldus
Laſarus

pontificibus. Itaq; mirādū nō est: si Scarampls ꝑceribus cū præstantissimis prope omnibus primarijsq; familijs: non Ligurum & Insubriū modo: sed totius hui⁹ Gallia cisalpinæ affinitas ac summa necessitudo cōtracta est. Omitto reliquas diētelas: amicitias: vires: facultates: quibus Scarampi ꝑceres plurimū pollent. Prætereo cōsulto in mediū afferre uel Antoniū huius autē: uel Rainaldum patrem: quorū uirtus & domi & foris tāta est habita & tam celebris: ut eorū nomen nulla sit antiquitas deletura. Satis em̄ hic unus Laſarus episcopus superq; est: qui omnē de se laudē queat profiteri. Non is profecto est Laſarus: qui suū iacet clarissimum genus: qui alicna laudet: cū semper studuerit nō aliunde sed ex sese ipso potius deoq; pendere. Nam quid de hoc tam sancto & sapienti præsulæ uestro Viri Comenses primū ducamus laudandū: Nū eximiam formæ bonitatē? Quæ tāti fieri in principibus cōsuevit: ut nō dubitauerit Tāgricus ille de Priamo loquens ita affirmare: Priami quidem species mereꝑ imperiū. Quod si materia sequitur formā natura: quis ambigat animi præstatiā debere corporis excellentiā omnē respondere? At sit sæpe malo hominū more: ut naturæ probitas deprauet. Eo igitur maiore admiratione dignus est Antistes hic uester: quod omnia sit semper natura duce pro animi ratione nō minus foeliciter cōsecutus: q̄ diligentissime secutus. Omnē in quā corporis dignitatē: omne robur: omnem ualitudinē cum animi sanitate & ui atq; pulchritudine conformauit. Quare cum intelligeret ad tantā naturæ bonitatē accedere oportere bonā quandam præstantēq; doctrinam: hanc tanto studio: tanta industria: tanta diligentia est amplexus: ut nō diuina poetica: nō regina humanarum rerum oratoria: nō optimarū omniū artium procreatrice philosophia cōtentus: sese penitus sacrorū librorū lectio: ni theologiaq; dediderit: quibus in rebus tantum ualet: ut omniū opinionē superarit. Nec sibi aliud quicq; boni proposuit unq; in uniuerſa uita: q̄ quod ipsa ueritas quæ solus ē deus definierit. Nam per huiusmodi sapientiæ genus se facile affecuturū existimabat quod uerum & incōmutabile atq; sempiternum foret. Quid em̄ uerecundos eius memorem cōtinentissimosq; mores: cum nulla sit omnino uirtutis pars: cuius assidua consuetudine priuatum se uolucrit. Præceteris autem iusticiā atq; pietatē præcipua quadam cura & ueneratione prosequit. Solebant prisce illi gentilesq; philosophi qui dicuntur uirtutem sequi: non tam uirtutis gratia: q̄ ut inanem hominū gloriam uenarentur. Itaq; studebant: quod est simulationis proprium: magis uideri boni q̄ esse. Omnes eorū

Priamus

Theologia

Iusticia
Pietas
Gētilis philo-
sophi

AD VIROS COMENSES ORATIO III

nigilia atq; peregrinationes qui septē existimati sūt sapiētes in grā
 cia: referebant ad humanā gloriā nebulā. Idem Stoici: idē Aca/
 demici: & Peripatetici: reliquiq; Socratici faciebāt. Quæ nā mens
 uel Pythagoræ Samio: uel Agrigentino Empedocli fuerit: tū illius
 auratum femur: tum huius in hiatum ætne præcipitatio dilucide
 declarat. Nam Romani quod aut pro patria se deuouerint: aut fi/
 lios interemerint: aut tot tantosq; labores exanclarent: uel acerbis/
 simos cruciatus morteq; pertulerint: quid aliud q̃ nominis im/
 mortalitatem apud homines affectabant? Non em̃ ullā iij sibi om
 nes: si recte uelimus iudicare: certam uirtutem expressamq; propo
 nebant: sed adumbratam quandā ac fucatam uirtutis imaginem.
 Nam uera & indubitata uirtus suis nixa hærensq; radicibus nihil
 habet supra se maius: nihil præclarius: nihil preciosius: quod aut
 bonum aut expetendum censi oporteat. Quo fit: ut solus deus
 ea sit atq; sola uirtus: a qua tanq; abundatissimo & perenni atq;
 inexhausto totius uirtutis fonte nostri omnes & cogitatus & acti/
 ones debent emanare eoq; referri. Nec enim in terris ulla est homi
 nis gloria præter eam: quæ cum cælesti gloria sit coniuncta. Qua/
 re cū Laçarus Scarāpus abusq; puero in eo se uirtutis genere ac/
 curate ac summo cū studio exercuisset: quod in agēdo uersat: mox
 ineunte adolescentia ad ueritatis perspicentiā animum conuertit.
 Intelligebat em̃ generosus adolescens inferiora hæc omnia & mu/
 tabilia esse & obnoxia interitui: Sola ea quæ in cælo diuinæq; sūt:
 nulli casui subiecta esse planeq; sempiterna. Itaq; ab assidua exerci/
 tatione sciētiae ad sapientiæ studiū sese cōferēs: tm̃ ea in re breui tē/
 pore p̃fecit: ut cū maxima sui nominis claritudine iuris pontificij
 ornaret insignibus. Et qm̃ nosset non iccirco discendū esse ut quæ
 pulcherrima optimaq; sunt: sciamus dūtaxat: sed multo etiā ma/
 gis: ut secundū ea quæ didicimus: operemur: quicquid egregij &
 cōspicui tot laboribus & lucubrationibus suis per disciplinā fue/
 rat affectus: id ita usu quotidiano sibi fecit familiare: ut omnibus
 ambiguū reddiderit: utra præstantior iudicāndus esset actionis ne
 laude an cōtemplationis. Vtraq; certe uāhementer excellit: adeo
 ut nemini cōtēdendi secū in hac omni Gallia spem reliquerit: tāta
 est eius dicēdi faciūdia: tanta legū & sacrorū canonū memoria: tā/
 ta rerū uariarū & laudatissimarū in differendo subtilitas. Mirari
 ergo neminē decet: si in tot ac tantis & externis & suis bonis Laça/
 rus Scarāpus est a summo pontifice Pio cæteris omnibus in ele
 ctione Comēsis episcopat⁹ sine ulla cōtrouersia prælat⁹: q̃ & multi
 & grauissimi uiri nō mediocri inter se cōtētionē ad id splēdidissimi

Sapientes
 Stoici
 Academici
 Peripatetici
 Socratici
 Pythagoras
 Empedocles
 Aetna
 Romani
 Virtus

Laçarus Scarāpus

Pius pont.

FRAN. PHILELFI ORATIONES DIVERSAE

Frā. Sphortia

**Comenses
Laſarus epi/
ſcopus**

**Rex
Tyrannus
Aristoteles**

Deus

muneris ferebant. **N**on enim erat ignarus pater sapientissimus nec
minem oportere alijs praesse in ecclesia dei: qui sit ullo genere lau/
dis ijs inferior quibus praest. **A**ccedebat ad rem quod non sine cau/
sa tanti hunc fieri intelligebat: a praestantissimo principe nostro **Frā**
cisco Sphortia: cuius animi magnitudo: cuius splendor ingenij: cuius
tanta est uirtus: ut omni pene antiquitati uideatur anteposendus.
Quid enim humanissimus princeps noster hunc minus diligat: mi/
nus amet: quem norit non modo esse obseruatissimum sui rerum sua/
rum: sed plane tale quem omnis honos & omnis dignitatis gradus
debeat cupere atque exoptare. **E**xobrem ut & principi nostro quod op/
time de se merito gratificaretur pater beatissimus: & ecclesiae uestrae
uiri **Comenses** consuleret saluberrime: hunc uobis **Laſarum** dele/
git episcopum: qui & uobis annuntiaret quae dei sunt: & eam do/
ctrinam traderet: quae ad uestrae salutis atque caelestis gloriae ratione
attineret. **V**estrum igitur munus erit: ut hunc cum omni fide ac pietate au/
diatis: & eius integerrimis paternisque institutis diligentissime ob/
temperetis: si cupitis uobis atque uestris omnibus bene & perbeate
consultum iri. **H**abetis enim praefulem eruditum: eloquentem: sobrium:
pudicum: facilem: benignum: affabilem: omni praeditum humanitatis
officio: omni bonitate insignem: cuius admonitionibus parere ho/
norificum est. **T**u autem pater amplissime & si minime uereor fore: ut
omnia regas atque administres moderate & sapienter: tamen pro mea
erga te obseruantia non desinam dignationem tuam monere: hortari:
obsecrare: ut cogites etiam atque etiam: quantam simul cum hoc ipso augu/
sto episcopatus fastigio mole subis: cum sit episcopus non minus ope/
ris atque oneris quam honoris nomen. **Q**uid enim aliud in ecclesia est epi/
scopus quam rex in **Christo Iesu**: **E**xerce igitur officium regium. **Q**uid
enim inter regem atque tyrannum interest? **A**llud nempe secundum **Aristo**
telem: quod tyrannus: ut est communis quidem bonis omnibus teter/
rimusque hostis: omnia refert ad utilitatem commodumque suum: **A**t rex
quasi animus reipublicae: quoniam omnia sibi cum ciuitate ducit esse com/
munia: nihil sibi priuatim quaerit: nihil uult: nihil admittit quod idem
cunctis ciuibus non sit ueluti proprium. **I**ta etiam tibi faciendum censeo.
Cura quae sunt ecclesiae: **H**uic uni stude: **H**uic inuigila: **A**d huius
emolumentum & dignitatem cogitatus tui omnes referendi sunt. **I**ta
enim praesse debes ut pro sis: quibus te praesse uoluit deus. **P**asce oues
meas: praecipit dominus. **Q**uod uni **Christus** iussit episcopo: id
esse & tibi & episcopis ceteris iustum existimato. **Q**ui enim rex in ec/
clesia & angelus diceris: gere etiam te pastorem. **N**ec id tibi turpe
ducendum est: cum nobilissimus poeta **homerus** appellet etiam **Aga**

AD VIROS COMENSES ORATIO III

memnona saepenumero pastorem populorū. **V**t em̄ pastor ouib⁹
 suis a lupo metuēs ex aliqua specula oculis attētissimis lustrat cir-
 cūquaq; omnia: ne quid detrimenti per insidiatorē suum importe-
 tur: ita etiā tibi acerrimo ingenio iterū atq; iterum speculandū est:
 ne frustra sis nominatus speculator: hoc est **E**piscopus. **N**ā quod
 sit diligentis pastoris officium: Iesus ipse docet in **E**uangelio: cum **I**esus
 ait se esse pastorem bonū & nō mercenarium: qui cum pastor non
 sit is cuius sunt oues propriae: cum primum uiderit lupum uenien-
 tem: illas dimittit ac fugit: lupo relicto ouibus rapiendis disper-
 gendisq;. **A**t pastorem bonū cuius sunt oues: facere secus omnia.
Nam quia nouit eas sua interesse: ne animā quidem suam pro illis
 ponere uereri. **I**nspecte igitur q̄ accuratissime omnia quacūq; sint
 ecclesiae **C**omensis cōductura: nullum detractans laborem: nullum
 ue uitae quidem periculum reformidans. **N**am sicut nihil est ut in-
 quit **A**mbrosius: episcopo excellētius: sic nihil miserabili⁹: si oues **A**mbrosius
 sibi cōmissas neglexerit. **P**asce igit̄ oues **C**hristi: **E**arum saluti pro-
 spice: quib⁹ custos: quib⁹ speculator es datus. **Q**uod si tu illa omni-
 potēis dei: quae sub p̄phetā **E**gechielis p̄sona episcopo ipsi quid **E**gechiel
 obseruandū sit: praecipunt uerba quaeq; consideraueris: nunq; er-
 rabis. **S**peculatorem inquit dedi te domui **I**srael. **A**udiēs ergo ser- **I**srael
 monem ex ore meo annūciabis eis ex me. **S**i autem uideris gladiū
 uenientē: & tu nō annūciabis eis ut reuertat̄ impius & a uia sua: ip-
 se quidem in iniquitate sua morietur: sanguinem uero eius de ma-
 nibus tuis requiram. **S**i autem annunciaueris: & ille non fuerit re-
 uersus: morietur ipse quidē in iniquitate sua: sed tu animā tuam
 liberaſti. **S**atis em̄ tuo officio pater integerrime fungaris: si popu-
 lo **C**omensis ac reliquae tuae ecclesiae: quae iussit dominus pro singu-
 lari tua eruditione annunciaueris: si quacūq; ad animarū salutē **D**ominus
 pertinet: grauit̄ eloquent̄q; docueris: si operā quātū in te fue-
 rit dederis: ne relicto calle caelestis patriae: i miserā deruant semp̄-
 ternā. **A**d quae quidem omnia qm̄ liquido ac perspicue animad-
 uerto tua te sp̄te mirifice incitatū: nihil est quod oratione sum lon-
 gior. **N**oui enim innocentia tuam: **N**oui sanctimoniam uitae: **N**o-
 ui magnitudinem & altitudinem animi: **N**oui prudentiam & con-
 silium: **N**oui iusticiā: **N**oui pietatē. **N**unc exprome quāso recōdi-
 tos thesauros tuos iustos nō pecuniarum: quibus unus omnium
 liberalissimus es: sed sapiētiae cāterarūq; uirtutum quibus es om-
 nibus admirandus. **S**cis enim fidei & religioni tuae populum esse
 prouidentia diuina commissum: quo uix alius in uniuersa **G**allia
 cisalpina est nobilior: utpote quod ab eadem olim **G**allorum gene-

FRAN. PHILELFI ORATIONES DIVERSAE

Comum te **Comum** est conditū: a qua & **Mediolanū** & **Bergomū** & **Brixia**
Mediolanum am **Veronamq;** & **Tridentū**: aliasq; nōnullas urbis clarissimas ac
Bergomum maximas prisci rerum gestarum scriptores conditas tradidere.

Brixia
Verona **Hec** quidem **Oratio** habita est ab eodē **Francisco Philelfo Comi**
Tridentum in ecclesia **Cathedrali. xvi. Kalendas decembres: Anno a Natali**
Christiano millesimo quadringentesimo sexagesimo.

Francisci Philelfi Oratio pro Theodoro Plato clarissim
mo iureconsulto. **III**

F Verat profecto æquū & ab omnibus mea sententia plane
cedendū Illustrissimi principes & uos reliqui patres gra
uissimi: ut qui in dicendi acie miles haberi possem: nō mo
do ueteranus: sed iam omnino emeritus huiusmodi omni orato
rio munere uacare: in tanta præsertim doctissimorū & eloquētissi
morū hominū republica. **Est** enī hoc officiū iuuentutis & robusti
oris cuiusdā seruētiorisq; ætatis. **Non** ingenio dūtaxat ad orādū:
nō eruditione: nō exercitatione est opus: sed facili quadā atq; expe
dita linguæ mobilitate: & in celeritate uerborū uoce: tum clara &
sublimi: tum sonora & periucunda. **Quare** si qua mihi ad dicendū
adiumenta: uel natura uel disciplina uel industria attulisset: quæ
tamen corporis sunt nō animi: hæc in homine secundū & sexagesi
mū annū iam nato nō esse eadē quæ in iuvene fuerunt: & ipse intel
ligo & aliū fugere puto neminem. **Itaq;** si de laudibus huius præ
stantis & perdocti adolescentis **Theodori Plati** cum pauca breui
oratione perstrinxero: minus fortassis aliqua ex parte satisficiam
expectationi de me uestre: erit mansuetudinis uestre atq; sapien
tiæ: id quicquid deterius fuerit: nō tā negligentia a qua semp om
niū maxime un⁹ abhorruī: q̃ ætati ipsi ascribere. **Nāq;** hoc omne
quicquid est orieris potius q̃ honoris: nō tā adiuū q̃ admisi: quip
pe qui neq; **Theodoro** ipsi deesse poterā: quo tempore uirtutis stu
dijsq; sui pulcherrimis donare in signibus: qui esset a me antea in
stitutus oratoris socraticisq; ornatus: neq; huius patri clarissimo
& sapientissimo iuriconsulto **Georgio Plato** de me persape q̃ op
time merito in tanta eius læticia obsequi nō debebā. **Sed** quoniā
hæc omnis laudatio a legū ac Iuris & ciuilibus & pontificis sapientia
pficiscit: pauca primū de initijs pgressuq; hui⁹ rei in mediū refe
ram. **Qui** primus leges inter mortales inuenerit institueritq; iudi
cia: nō eadē oīm est opinio. **Hebræi** hūc **Mosen** fuisse uolūt: **Athe**

Theodorus
platus

Georgius pla
tus

De legum in
uentore
Moses

PRO THEODORO PLATO ORATIO IIII

nienses **Cecropa**: **Argiui** **Phoronei**: a cuius noīe forū non minus **Cecrops**
 cōmode acceptū reor q̄ ob eam rem ita nominatū qđ eo lites cō- **Argiui**
 trouerſiaq̄ ferant. **Cretenſes** **Minoa** atq̄ **Rhadamantū**: **Lacedæ** **Minos**
 monij **Lycurgū**: **Aegyptij** **Mercuriū** **Nili filiū**: cui **Vulcan⁹** ſucces- **Mercurius**
 ſit in regnū. **Persæ** uero **Zeroaſtrē**. Nā latini quo in legib⁹ ſerēdis **Zeroaſtres**
 quo iuniores extiterunt: eo ceteris hominibus in hoc doctrina ge-
 nere mirifice omnibus praſtiterūt. Qđ aut ad **Mosen** attinet: hūc **Philo iudaus**
 alij legūlatorē: ut **Philo** iudaus eſt locupletiffimus teſtis: alij ſacra **Philo iudaus**
 rū legū interpretē p̄didere. Claruitq̄ eadē tempeſtate apud ſuos
 qua **Cecrops** apud **Athenieſes**: quos **Cecropidas** ab ipſius & cō-
 ditoris & legūlatoris nomine appellatos eſſe conſtant. Et id quidē
 annis amūdi creatione: tribus milib⁹: ſex centis quinquaginta.
 Et **Phoroneum** qui **Inacho** natus regnauit **Argis** ſecūdus annos **Phoroneus**
 circiter trecētos: poſtea legibus **Argiui** ac iudicijs muniffe. Nam **Phoroneus**
Rhadamantū & huius fratrem **Minoa** qui **Ganymedem** rapuit:
Europa & **Aſterio** natos fuiſſe longe his tribus poſteriores. **Lycur**
gū uero quas leges **Lacedæmonijs** tradidit a **Cretenſibus** accepit.
 ſe. At **Zeroaſtres** rex **Battrianorum** qui primus omniū magicam
 illuſionē reperit: quibus fuerit tēporibus ſatis ea ratione patet: qđ
 aduerſus eum **Ninus** rex aſſyriorum dimicauit. Et ne ſim narran- **Ninus rex**
 do p̄lixior: neminē inter legūlatores inuenio: quē antiquitate **Mer**
 curio cōparē. Hunc alijs omnibus legūlatoribus q̄ longiffime ſu-
 periorē: **Iccirco** **Ioue** **Maiacq̄** natū poeta cecinere: q̄ & mentis acu-
 mine uiguerit & prudētiffimus fuerit. **Mercuriū** em̄ auctōrē fuiſſe
 affirmant eloquētiā: quæ ex intellectu gigniē & prudētiā: eundēq̄
 & palæſtrā & lyra & praſtigioꝝ peritiā primū tradidiſſe. Sunt eti- **Eacus**
 am qui hanc laudē legū ferendarum dent **Eaco** **Achillis** auo: cui⁹ **Achilles**
 filium **Peleum** cum argonautis aduerſus **Cholcos** nauigaſſe oſtē-
 dit **Orpheus**. Q̄ plurimos præterea legimus: qui **Cererē** omniū
 primam extitiſſe arbitrent̄ ferēdæ legis auctorem: quod eo argu-
 mēto reſelli poteſt: quod **Cecerē** fuiſſe cōſtat annis ab initio mun-
 di tribus milibus ſeptingentis octoginta. Sed qui omnē illā ſupe-
 riorem antiquitatē legalis ſapientia gloria ſuperarit: **Solona** fuiſſe
 cōtendūt: qui antiquitatis omnibus diaconis legibus præter eas
 quas de cede tuliſſet: ipſe leges **Athenienſibus** dedit: quos ob eam
 rationem axes nominauit: quoniā in ligneis axibus ſcriptæ eſſent.
 Et floruit quidem **Solon** inter ſeptem graciæ ſapientes **Olympia** **Olympias**
 de quadrageſima ſeptima: uel ut alij perhibēt: quinquageſima ſex-
 ta **Piſtrato** **Athenis** regnante. Huius autem unius philoſophi le-
 ges adeo apud omne pene hominū genus illuſtres atq̄ præclare

FRAN. PHILELFI ORATIONES DIVERSAE

Romulus

sunt habitæ: ut ne **Romanos** quidem puduerit post exactos reges easq; leges omnis penitus sublatas quæ prius ab ipso usq; **Romulo** lata fuerant: **Athenas** mittere decem legatos: qui indyctas leges **Solonis** peteret: quib; **Romana** respublica fundaret. **His** in decē eburneas tabulas perscriptis in **Vrbemq;** allatis: & pro rostris ad apertiore[m] uolentium perceptionē positis: propterea duæ postea tabulæ **Hermodoro** **Ephesio** auctore in annū p[ri]mū ex publica potestate adiectæ sunt: quoniā ad tātā ciuitatis imperiū pluribus legibus esset opus. **Et** ita leges sunt duodecim tabularum appellatæ. **Deinde** secutū est ius ciuile: **Legis** actiones: **Ius** elianū: plēbiscita: quæ postea lege **Hortensis** p[er] legibus habita obseruatæ sunt. **Post** hæc ius id additum necessario ē qd[am] senatuscōsulū nominatur. **Deinceps** adiecta oportune sunt edicta pratorū: a quorū honore ius est appellatū honorariū. **Ad** postremū aut[em] principe cōstitutū acceptouē illud est ius introductū: quod ab unius principis uoluntate manans principale uocatum est. **Quid** em̄ singillatim memorem aut de publicis aut de priuatorum legibus quæ priuilegia dicunt? **Quid** de consularibus & tribunitijs? quid de satyras? quid de iure militari? quid de iure quirītū? quid de constitutionibus? quid de prudentium responsis? **Nulla** est prorsus neq; legis nec æquitatis nec iuris pars quā **Romani** aut legūlatores aut iure consulti intactam indiscussamq; reliquerint. **Nō** em̄ in tot corūcanis: brutis: scæuolis: paulis: labeonib;: pomponijs: trebatijs: tullijs atq; alijs p[er] infinitis unū aut **Lycurgū** aut **Solona** iuenias. **Quā** em̄ nuncq; in uniuerso terrarū orbe rēpublicā excelluisse meminim;: quæ cū in oīs laude uirtutis: tū maxime in splendore iusticiæ cū **Romanorū** imperio cōparari queat. **Hæc** aut[em] non natura sed disciplina primū acq[ui]rit: & ea quidē disciplina: quā nobis legū & iuris ciuilis & scientia subministrat. **Hæc** sane ea est iusticia quā ait **Euripides**: hespero atq; lucifero magis esse mirabilem. **Hæc** in quā una uirtus ita cunctis uirtutibus antecellit: ut qui eā adeptus sit: solus bonitatis cognomentū adeptus existimetur. **Quare** cum ornatissimus adolescens **Theodorus** **Platus** ab ipsa usq; pueritia quodā naturæ ductu bonitatem arderet: audiretq; quotidie hāc per incitiam potissimum comparari ab eloquentiæ studio: quā non mediocriter ualebat: ad legum & iuris ciuilis scientiam quasi **Sulpitius** quidam animum cōuertit. **Et** citabat eum præterea uel paterna uel maiorum suorum gloria: quorum se dissimilem fore monstri simillimum ducebat. **Nō** enim erat ignarus platorum familiā quæ nunc uocatur: **Nā** prisca tēporibus platonica dicta est

Theodorus
Platus

PRO THEODORO PLATO ORATIO III.

a Platone philosophorū omniū maximo & grauissimo duxisse originem. **Platonem** uero ipsum qui suo pprioq; nomine **Aristocles** dictus est: referre paternū genus in **Codrum** regem **Melanthi** filium: maternū autē in **Dropiden** poetam **Solonis** fratrem. At **Solona** & **Dropiden** in **Nileū** heroa. Hinc uidere licet uim sollertiamq; naturā nō absurde in posteros etiā propagari. Vtē **Theodorus** ad legalis excellētiā laudē raptus est: **Solona** scilicet imitatus: Ita huius frater **Petrus Antonius** diuino ingenio adolescēs ad oratoriae poeticāq; praestantiā gloriā impulsu quodam & tanq; necessitate naturae: quā a **Dropide** fratre **Solonis** fluere: tāto se studio cōtulit: ut iam natu maioribus illisq; doctissimis coequādu iudicet. Scimus enī **Dropiden** esse ab omnibus poetā eloquētissimum & grauissimū habitū. Nam **Nileus** adeo claruit rebus bellicis ut inter heroas numeraret: quē etiā ipsum q̄ **Petrus Antonius** pulchre amuletur nouistis omnes. Sed ut eo unde diuertit nostra reuertat oratio: qualia quātusq; legūlator **Solon** fuerit: ex ijs satis sup quē patere arbitror: quā a me modo narrata sūt. De **Platone** uero qd attinet praedicare: cuius libri decem de rep. & duodecim de legib⁹ locum nullū praetermisere: quē ad omnē iusticiā iurisq; rationē pertinere uir sapientissimus iudicasset. Vt uero **Theodorum** oportet uāhementer accendi atq; inflāmarī ad eā quā naturae suae instituto tantopere cupiebat scientiā cōsequendā: **Georgij** patris nō mē atq; honos erat in causa: quē uidebat in **Mediolanēsi** rep. praestantissimis etiā iurecōsultis doctrina & innocentia plurimū antecire: ob eamq; rem adeo ualere & auctoritate & gratia apud diuinū principē nostrū **Franciscum Sphortiā**: ut de nēmine melius sentire uir prudentissimus summusq; uideat. Quid obrem cum primū se **Ticinū** cōtulisset: id studiū cuius gratia pfectus est: tāto labore: tanta cura: tanta aggrediē diligentia: ut intra tertiū annū in publica re petitione: quā uocāt scholastici: eam de se opinionē in omniū animis collocarit: ut nulla ex parte maiorib⁹ suis inferior futurus cēfere. Videmus sane apud nōnullos usu plarūq; fieri: ut qui adulescentes asseruatione aspectuq; suorū liberi sunt: licentia ea omni quā habent: nō tam utantur q̄ abutant. Nam quod tēpus in audiendo debet legendiq; consumi: id aut in ludis aut in comestationibus teritur cū magno ipsorū dedecore ingentiq; detrimēto rei familiaris. At istorū taliū dissimillimus **Theodorus** ne punctum quidē temporis omittebat: quo minus aut eruditissimos honestissimosq; doctores audiret: aut legenda tractaret: aut quā legerat & tractarat litterarū monumentis cōmendaret. Eorū aut aequaliū

Plato
Aristocles

Petrus Antor-
ninus Platus

Dropides

Solon
Libri. x. de re.
Libri. xij. de
legibus

Georgius pla-
tus

Fran. Sphor-
tia dux

FRAN. PHILELFI ORATIONES DIVERSAE

& cōdiscipulorū semper cōsuetudine usus est: qui aut docti & boni essent: aut cuperent tales effici. Sciebat em̄ probos adolefcētis: ubi etiam minus improborum cōsuetudine a recto animi instituto flecterentur: suspitione tamen deprauati moris nō uacare omnino. At eos omnis q̄ ceteris aut auxiliū sint aut cōsiliū allaturi: non minus famā q̄ iusticiā atq; integritatis rationē habere oportere. Cōsultoribus uero in omni quāstione aequē facillimū atq; subtilissimū se praeſtabat. Quod aut ipse uel dicendi uel differendi gratia quareret: ut acute inuenerat: ita modestissime p̄ponens mirabili artificio: ad quē finē intenderat: deducebat. Et peruicacium omnē exosus: id solū quod ueritatē saperet: sequebat. Spectatissima em̄ ingenia mendaciū nullū admittūt: eamq; sibi in differendo uictoriā p̄poni uel maximam arbitrant: si a ratione nusq; diuerſerint. Præterea qđ tempus uix alijs in audiendo civili iure satis esse consuevit: id Theodorus platus in utroq; iure penitus perdiscēdo longē prius absoluit. Et ne id quidem mirū. Non em̄ ocio se debebat: nullas illecebras sectabatur: nullā faciebat intercapedinem: totus erat in audiendo: totus in legendo: totus in scribēdo: totus in disserēdo. Quo factū est: ut cū quarto studij sui anno docere qđ didicerat: publice in maxima audientiū frequentia cōpisset. Ecce cum incredibili admiratiōe oīm anno septimo ex quo primū Ticinēsem: ut ita dixerim: ariopagū ex nostra Mediolanensi academia petijisset: ab omnib; sit: ut uidetis: dignissimus iudicatur: quē utraq; insignia decorēt. Sed iā me locus ipse atq; tēpus admonet: ut postea qđ de legibus ac iure civili locuti sumus: paucis percurram de iure pōtificio. Id aut q̄ primū apud Romanos inuenerit: quē nūc Pompilio anteponā: habeo neminē. Nā apud alias nationes atq; ciuitates ut uarij dī in honore sunt habiti: ita uarij superstitiones: ritus iuraq; fuerūt: adeo ut etiā daemones p̄ dīs haberent. Colebat em̄ stulta illa gentilitas & bonos quos opinabat & malos deos. At malos quidem ne obessent: bonos aut ut pdesſent. Sed ut reuertar ad Numā: Is genere Sabinus: cū Romulo successisset in regnū: uideretq; Romanū populū longē bellandi cōsuetudine efferatū: aliud nihil malle q̄ uastationē: q̄ prādā: q̄ interitū: quo illū tādē ab ea immanitate animi diritateq; auerteret: ius pōtificiū introduxit per tripudia & saltatus ludosq; solēnis: adhibitis sacrificijs & carminibus: quibus placari numina p̄pitiaq; reddi maximo studio rex callidissimus persuaſerat. Quæ quidē superstitio ubi simul cū imperio in dies magis magisq; augesceret: ea demū p̄ aduentū ueri & omnipotentis humani generis redēptoris Christi optimi maximi: radicitꝰ excisa corruit. Estq; tēpestiue nouū ius pōtificiū impol-

Theodorus
Platus

Gentilitas

PRO THEODORO PLATO ORATIO III

Iutūq; oblatū: qđ a sacris libris grauissimisq; sãctionib; cõflatū de
 creti atq; decretaliū uoluminibus sanctissime cõtineť. **Qua** certe
 oĩa **Theodorus Platus** nō audiuit & didicit solū: sed etiã q̃ acutis-
 sime edidicit: & alios q̃ subtilissime & q̃ elegãtissime sūma cū lau-
 de docuit. **Qua** cū ita sint: Reliquū est præclare adolescẽs **Theodo-**
re Plate: ut quæ tibi hūani diuiniqu; iuris ornamẽta i hoc sacratissimō
 tẽplo: in hoc religiosissimo die: i hoc tãto & tã illustri amplissimō
 morū hoīm cõuētū ex sūmi atq; uniuerſi magistratus auctoritatẽ
 corã parata intueris: accipias ea mēte: eo aĩo: eo cõsilio: ut oĩa sem-
 per & dicas & agas: & modereris p dignitate tua maiorūq; tuorū.
Nec em̃ satis est qđ iusticiã pietatēq; didiceris: nisi eas in omni acti-
 one repræsẽtãs & iustissimū te præsiteris & integerrimū & homi-
 nib; deoq; charissimū. **Verſe** tibi assidue ante oculos sciẽtissimus
 hic & cõtinentissim; iurecõsult; **Georgius** pater tuus: **Verſe** **Plato**
 ipse: **Verſe** **Solon:** **Verſe** quotquot a **Codro** rege athenarū &
 ab heroe **Nileo** magni & egregij uiri in omnigenere & uirtutis &
 gloriæ: ad hãc usq; ætatẽ emanarūt. **Et** ut breuitatis gratia præte-
 reã innumerabilis fere non solū utriusq; iuris eruditissimos uiros:
 sed etiã equites auratos & fortissimos belli duces & urbium dños
 ac pōtiffices: qbus polluit clarissima domus tua. **Repete** memoria
Maseū muganū autē nraternū: uirū illū grauissimū planeq; huma-
 nissimū: cui; prudẽtia: cui; eloquẽtia tãta fuit ut ei; opera & indu-
 striã excellentissim; princeps noster relicto in **Apulia** tot urbiū: tot
 populorū opulẽtissimo principatu: ad magnanimū illū ducẽ diuū
Philippū uenerit: cuius aduētū diu cõcupitū atq; exoptatū quãti
Philippus fecerit: nō obscure nec dissimulãter ostēdit. **Nā** **Maseū**
 qui esset cõsiliij iusticiæ secretarius: ordini senatorio q̃ primū ascri-
 pſit: tãtoq; semp habuit i honore ut in maiore neminẽ. **Nā** qđ ego
 memorẽ q̃ta de tua & eruditōe & pbitate sit expectatio: cū apud
 alios uniuerſos uiros claros & præpotentis: tū apud nobilissimas
 primarias familias: qbus cū tibi est affinitas: quorū certe oīm opi-
 nioni tibi nitēdū ē: nō mō ut respōdeas: sed ut ea mirabiliter supe-
 res. **Verū** ne singula psequar: quãta nūc tibi ad bonas actiones ne-
 cessitas: q̃tū calcar est additū: qđ regina hæc nostra diua **Blanca**
Maria simul cū splendidissimis regulis **Galeatio** & **Hippolyta** q̃si
Latona quãdã **Phoebo** **Diana**q; oĩa coruscãs sua te præsẽtia ho-
 norat. **Qua** sane res una longe est: & preciosior & illustrior: q̃ cui
 lis pontificijq; iuris aureū omne gemmatūq; diadema.

Georgius
Platus
Plato
Solon
Codrus rex
Nileus

Opera Masei
Mugani Fran-
ciscus Sphor-
tia uenit Me-
diolanum

Blãca Maria
dux
Galeati; Ma-
ria
Hippolyta
Latona

Hæc qđ oratio habita ē ab eodẽ **Frãcisco Phileſo Papiæ** i ecclesia
 cathedrali: stio **Nonas augustas:** aĩo a natali christião. **M. cccc. lx.**

FRANCISCI PHILELFI ORATIO V

Francisfi Philelfi Oratio habita Mediolani in principio studij. V

Galeati⁹ Maria
dux

Italia

Dares
Entellus
Annibal
Fabius

Tanq̃ eloquentia & illustrium disciplinarum studia ad triarios sint redacta: reuocat miles emeritus post qui n̄tum & uigesimalum annum in aciem docendi: & ne is quidem inuitus: cum intelligat huiusmodi benignitatis munere ferem facturū excellentissimo suo principi **G**aleacio **M**ariae: non gratam solū uerum etiam pericundā: **S**i ita instituerit florētissimae huius reip. iuuentutem: ut & dicendo & iudicando iure possit cum uniuersa Italia de gloria contendere. **N**ō igit̃ cuiq̃ obscurum esse debet uiri clarissimi & quod sit nostri sapientissimi principis cōsiliū: & quod itē meum institutum. **C**eterū ea mihi molestia: quod nō eadem uis: ac uigor tueretur: atq̃ corroborat corporis huius instrumenta: quo ingenium ipsum meū intelligentiaq̃ munif̃ ac pollet. **V**bi eū pristinus ille uocis uel sonorus cōcentus uel tēpestiua contentior **V**bi firmitudo laterum: **V**bi linguae in omnē motū uel celeritas uel facilitas: **H**aec omnia sunt una cū aetate magna ex parte facta debiliora. **A**t uoluntas certe bene p̄merendi eadem est: quae prius & sapiendi studium longe uahemētius. **A**nimus uero tū infractus: tum nulli neq̃ ignauia neq̃ desidia seruiens. **N**ec **D**areti cedebat **E**ntellus. nec **A**nnibali **F**abius: & bos quo lassior est: eo magis cauet: & firmioribus nitit̃. **E**nim uero quanto pulchrius est didicisse q̃ discere: tanto animus senis q̃ animus iuuenilis plus & uiget & sapit. **Q**uo fit: ut & consulendo & instituēdo senilis grauitas uenerationi habenda sit semper: perinde atq̃ iuuentutis & dux & gubernatrix. **Q**uibus ipse ductus rationib⁹: nō sum ueritus tertium iam & septuagesimū agens aetatis annum: docendi arma resumere: & tanq̃ **N**eoptolemus quidē in aciem descendere aduersus iacula sagittasq̃ ignorantiae & inscitiae: breui futurū sperans: ut gratificando humanissimo nostro principi: & uberrimos & honorificos fructus his omnibus pariam: qui secum doctioris: tum etiā melioris mea industria reddi nō detrectauerint. **Q**uare qui modestissimi adolescentes in hunc locū discendi studio cōuenistis: ad audiendum animos parate. **V**os aut̃ ceteri uiri grauissimi qui nō ut aliqd̃ discatis: sed uel iudicādi uel mei honorādi gratia hic adestis: **S**i aequo animo ac placide tuleritis quae a me paucis differuntur: permagnas sim profecto uobis & immortalis gratias habiturus. **N**unc uero nescimus dicendi prolixiores q̃ uel personarum dignitas uel temporis breuitas patiē: ad eorum declarationē nostra oīs

AD SIXTVM PAPAM ORATIO VI

se cōuertat oratio: quæ in **P**oliticoꝝ libris ab **A**ristotele eruditissi-
mo eloquentissimoq; philosopho tractata diuinitus atq; perscri-
pta sunt.

Frācis̃ci **P**hilel̃si **O**ratio gratiarū actiua ad **S**ixtum quar-
tum **P**ontificem maximum. VI

Quam mihi profecto mirificam animi læticiam affert cōcu-
pita diu atq; exoptata sanctitatis tuæ præsentia pater bea-
tissime: hanc nō mediocriter offendit importuna hæc uo-
cis rauitas: quā partim itineris difficultas: partim asperitas hye-
mis intulit homini senī: utpote iā agēti septimū atq; septuagesimū
ætatis annū. **Q**ua quidem incommoditate fit: ut quo ut me opor-
tuisset in agendis tibi gratiis ornatu dicendi pro tāta tua in me be-
nificencia: qua sum accersitus in hoc domiciliū orbis terræ: quo re-
liquū uitæ meæ exerceam in laudem omnipotētis dei ac tuæ beati-
tudinis: eo in præsentia cogar abstinere. **S**ed recreat me: ac bono
animo esse iubet singularis tua summaq; sapiētia: qui nihil teme-
re: nihil incōsulto: sed omnia potius p ratione & recto animi iudi-
cio metiaris: cōsyderes: modereris. **Q**uo factum iri existimo: ut eū
etiā imiteris: cui⁹ expræssum quoddā & uiuū es simulachrū: ei⁹
demq; uices in terris sanctissime atq; innocentissime repræsentas.
Ut em̃ ille seipsum donās sola beneficencia: cuius partes secundū
Ambrosium: beniuolētia liberalitasq; sūt: redemit uniuersum hu-
manū genus quod perierat: ita etiā tu pater beatissime p charita-
te diuinitus tibi ingenita ac benignitate pontificali: cū me mihi re-
stitues: tum uocem illā pristinā ac sonoram efficies etiā clariorem.
Pro aut̃ tali tantoq; beneficio: quas tibi tandem gratias sim actu-
rus: **E**as certe quibus tibi sapientissimo reipublicæ christianæ an-
tistiti gratias offerri nihil queat. **A**t quas deniq; **A**lacrē atq; sin-
caram animi gratitudinē: **Q**uæ una uirtus q̃ sit pulchra quātiq;
faciunda: uel eo probat̃ argumento: quod primus ille angelus im-
pietatis filius sola ingratitude corruit præceps ex illa cælesti sub-
limitate in tenebras sempiternas. **N**ā si gratus esse uoluisset: si ac-
cepti memor beneficij: neq; inuidisset creatori suo: nec in diram il-
lam sceleratamq; superbiam exarsisset. **M**ea uero animi gratitudo ea
futura sit: ut tuum diuinū nomē quod sua natura splendidissimū
est: splendore etiā orationis tam græcæ q̃ latinæ eodemq; & carmi-
ne & oratione soluta: id quod alius ex hominibus nostris præstare
nemo potest: quantū uel anniti ingenio: uel doctrina efficere dili-
gentiaq; potero: transfundam in omnē posteritatē: & ita transfun-

Angelus

Superbia

dam: ut nulla sit hominū atas illud obscuratura. Non em̄ ea humana gloria appetenda nō est: quæ per optimas actiones se diuinæ gloriæ similē reddit: tum omniū hoīm bona a diuinis bonis, pfluant sit necesse. Interea uero temporis clamentiam tuam rogare: orare: obsecrare obtestariq; nō desinam: ut hunc humillimū seruū tuum ut omni fide & obseruantia tibi deditissimum ita commendatissimum habeas: siquidem putas nullum apud me beneficium tuum intermoriturum.

Francisci Philelfi Oratio habita in principio Quæstionum tusculanarum. M. Tullij Ciceronis in studio urbis Romæ
VII

Tyrones

Qui tyrones primū in castra uenerint: ne rerū bellicarū imprimi omnino possint existimari: consuerunt ea intra uallum representare: quæ in dimicādi arte didicissent. Et ita cum mira quadā corporis agilitate nūc exilientes resiliētesq; nunc pcedentes audentius: nūc in pedem se referentes per omnē motū gestūq; membroz: aut ensem in uarias uibrando coruscandoq; paratis: aut hastam ultro citroq; in multiplices ictus concutiendo per spicuū afferre argumentū: cū uiriū suarū ad alacriter strenueq; pugnādum: tum etiam fiduciæ ad uincēdum. At milites ueterani uiri clarissimi qui in hunc locum cōuenistis honorādi mei potius: ut existimo: q̄ audiendi gratia: ut sunt diu ac multū exercitati fortissimi me per pulcherrima q̄ plurimaq; facinora: nihil huiusmodi facere aggrediunt: sed tantisper quietem agunt: donec descēdat in aciē. Quo ubi uentū est: & itur in pugnā: non secus ac leones marmarici qui uocant: in hastem obuīam ilico feruntur: tanta ui: tanto impetu: tanto robore ac turbine: ut nusq; nisi parta uictoria conquiescant. Idem mihi quodammodo ij facere soliti uidentur: qui nup in docendi quasi aciē profecturi: prius q̄ de rerum magnitudine atq; splendore: quarum se interpretes haberi uolunt: quicq; laude dignum in medium efferant: tempus fere omne consumunt: ut sunt iuuenes in elegantissimo quodam oratiōis apparatu: de rebus autem ipsis uix aliquid pro auditorum utilitate attingentes. Quā ego cōsuetudinē etsi minime reprehendo: cum sit tū ea atate: tum prima exercitatiōe minime indigna: nō satis tamen eos cū illis cōuenire semper existimani: qui in dicendi docendiq; curriculum q̄ diutissime uersati: rerum debent grauissimarū potiusq; fucate cuiusq; orationis ad demulcendas audientium aures habere rationem. Quod si alteri cuiq; est considerādū: tum mihi potissimū

Consuetudo
Exercitatio

AD SIXTVM PAPAM ORATIO VIII

qui ætatis iam annum agens septimum ac septuagesimum : tãdiu
sum in omni orationis genere per uniuersam propemodum exerci
tatus **I**taliã: in maximis & amplissimis ciuitatibus eisdemq; pri
marijs: ut dici iure possim in huiusmodi studiorum certamine mi
les: nō modo ueteranus sed indubitato etiã emeritus: & ita emer
tus: ut musarū templo arma uictoria pinde quasi **R**omulus quisi
piam Ioui feretrio iam pridem obtulerim. **I**n præsentia uero tanq;
in aciem accersitus atq; reuocatus a **S**anctissimo & eodem in om
ni laude nobilissimã disciplinã & exquisitissimã eruditionis sapiẽ
tissimo: domino nostro **S**ixto quarto: totius reipublice christianæ
pontifice maximo atq; optimo: ad iuuentutē instituendam in hoc
domicilio orbis terræ humanitatis artibus: quæ aliud nihil est q̃
totius uitæ morumq; disciplina: quẽ omniū magis imitari debeo
q̃ tanti p̃tificis summam sapientiam. **E**x illius enim ore nihil p̃
dit omnino: quod minus sit quadam mirifica grauitate exultaq;
doctrina præceptisq; ijs refertum: quæ tam ad bene beateq; uiuen
dū: q̃ ad omnem honestatem & dignitatē pertinent. **A**ccedit ad rē
quod esse **R**omæ nōnullos audio: qui uiri disertissimi nullū quoti
die prætermittunt luculentissimæ dictionis ornatum: quo & dele
ctent eos: qui audiunt & agant ad omnen animorum aut motum
aut etiam quietem. **Q**uæ de tribus reliqua pars in docendo uersa
tur: quæq; & meæ est dignitatis: & ad interpretationem quæstio
num tusculanarum. **M. Tull. C**iceronis spectat: maxime in ea tra
ctanda nullum meum: ut spero: desyderabis officium. **Q**uare ad
audiendū animos parate. **D**e rebus enim altissimis & cognitione
dignissimis in his quinq; libris quos sumus exposituri: q̃ cumula
tissime simul & q̃ diligentissime scripsit **C**icero. **R**omæ pridie **I**dis
Ianuarias. **M. cccc. lxxv.**

Romulus
Iupiter **F**ere
trius

Sixtus quar
tus p̃t. max.

M. Tull. Cice.
Quæstiones
tusculanæ

Francisci **P**hilelfi **O**ratio de sua in urbem reditu ad
Sixtum **Q**uartum pontificem maximum. **VIII**

Quãta sit in obseruatōe p̃missæ fidei grauitas: quãta uene
ratio cōstituta: p̃t uel eo argumēto non difficulter anim
aduerti pater beatissime: qd̃ religio uniuersa & sanctimo
nia christiana in sola fide fundata est: & eam quidem fidem quæ in
conuentis atq; promissis consyderatur: **I**ccirco arbitrantur uiri do
cti & diligentes: hoc appellatam nomine: quoniam per illam quæ
promissa fuerint: fieri oporteat. **N**on igitur absurde quo fidem
eam impollute seruarem: qui hinc **M**ediolanū repetēs adducēdæ

Fides

Mediolanū

FRANCISCI PHILELFI

familiæ meæ gratia me obstrinxeram tuæ beatitudini: **E**cce ut uides: redij contemptis cæteris rebus omnibus & publicis & priuatis. **F**ateor equidem serius me redisse q̃ putaram. **Q**uod certe nulla mea uel negligentia uel culpa alia factū est: sed aut diuina quædam prouidentia: cui aduersari nemini licet: aut malignitate fortunæ: si quā tandē fortunā esse dixerimus: quæ quod nefas est credere: potior sit diuino iudicio nobis sane occulto: sed eo plane & incommutabili & omni certitudine certiore. **A**t ausim affirmare pater clamentissime: permulta mihi fuisse impedimento: quo serius fungi officio meo quiuierim: & primū quidē repentinus: ut cætera misfa faciā: duorū meorū liberorū casus mihiq; pro humanæ imbecillitatis conditione admodū molestus: quippe qui per diē pau corū interuallū uitā deseruere præclarā illi quidem indolis infantis & magnæ spei. **A**gebant em̃ ætatis annum alter septimū: alter octauum: cū & uigerent & saperent longe magis q̃ pueri. **E**x quorū inopinato celeriq; obitu: misera mater mihiq; charissima tantū animo dolorē mœrorēq; cōcepit: ut in uahemētissimā agrotatiōnem incidit. **D**e cuius breui recuperāda ualitudine: cū eruditissimī prudentissimiq; medici mihi suaderent: coactus sum euentum rei expectare: ut non inanis omnino reuertisse **M**ediolanū possem existimari. **Q**uæ em̃ alia causa eo me reuocarat: quā ut uxore & filios reliquāq; familiā mecū ad urbē ducerē: ubi sub **C**hristo meo **S**ixto quarto pontifice maximo: uitā omnē esse acturus ē. **S**ed oh q̃ uar ij: q̃ incerti: q̃ mutabiles sunt casus humanæ hui⁹ naturæ: q̃ miserabilis cōditio nostra omnis. **C**um uisa iam foret uxor conualuisse: meq; itineri accingerem: uel potius iam essem in itinere: noua calamitas superuenit. **I**lla em̃ exceptis intra præcordia penitus acerbissimis illis filiorum amissorū uulneribus: cum diutius ea perpeti nō posset: repente ppter abortiuū partū: quē ante illorum obitū passa fuerat: ita uexata: ita exanimata est: ut morti ipsi ppe cōcederet. **Q**uæ quidē oīa aliāq; q̃ plurima mecum ipse uolutās: animo statui potius esse redire solus: ut antea solus ueneram: q̃ si diutius differrem: aut iram diuinā aduersus me cōcitarē: tanq̃ omnia uellem p meis optatis cōsequi: aut tuæ summæ sapientiæ susceptionem asferrem uiolata fidei: qua ipsa apud me nihil est nec antiquius nec sanctius. **A**dsum igit̃ pater beatissime ea facturus omnia quæ uel ipse iusseris: uel tibi grata fore animaduertero. **N**am ego tibi & sacrosanctæ **R**omanæ ecclesiæ me & uiuum & mortuū dedicaui ac deuoui.

Cæsar
Frederic⁹ aga
thus
Laura ma
gdalena

Sixtus quar/
tus pōt. max.

Explciunt orationes **P**hilelfi